



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et  
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris  
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.  
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

**Delvaux, André**

**Coloniæ Agrippinæ, 1686**

**Tit. 30. De officio Legati.**

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](#)

## §. VI.

## De Delegatis à Iure ipso.

**D**ilegati vel iure ab homine, de quibus dictum est, vel sunt delegati juris, id est, qui à iure delegatum jurisdictionem habent, Sic enim Episcopi quibusdam in casibus, alias Sedi Apostolice relativatis, praesertim circa Ecclesias & Monasteria exempta, eorumque personas, auctoritate juris sine alio mandato procedunt. tamquam delegati Sedis Apostolicae, ut videtur licet in cap. 1*terfragabili* 13. § *caterum inf.* *De officio jud.* *Ordin.* in cap. *Ad abolendam in fine inf.* *De hereticis.* cap. *unico* *De Clerico agrotante* in 6. ac variis Conc. Trid. locis ut *Sess. 5. cap. 1.* & 2. *Sess. 6. c. 2.* & 3. *Dereformat.* *Sess. 13. cap. 5.* *Dereform.* *Sess. 14. cap. 4.* *Dereformat.* *Sess. 21. cap. 3. 5. 6.* & 8. *Dereformat.* *Sess. 24. cap. 9. 10. 11.* & 14. *Sess. 25.* in decreto *De observandis & evitandis in celebrazione Missæ.* & cap. 3. 6. 8. 10. *Dereform.* *Sess. 25. cap. 5. 8.* & 9. *Deregularibus.* & cap. 9. & 14. *D. reformat.* Videatur Azorius 2 p. *Moral. institut. lib. 3. cap. 54.*

## TITULUS XXX.

## De officio Legati.

## §. I.

## Legati qui, &amp; quotuplices.

1. *Quis dicatur Legatus.*
2. *Alii sunt Legati à Latere.*
3. *Alii Missi.*
4. *Alii Nati.*

**I.** *Q*uemadmodum Judex delegatus vice ac muovere fungitur delegantis, ita legatus gerit vices summi Pontificis in provincia vel regno ubi commissio; nam cum summus Pont. non possit adesse omnibus, qui in provinciis eū praesentem requirunt, Legatos suo nomine mittit, c. 1 & 4. b. t.

2. Legatorum autem tria sunt genera, ut colligitur ex c. *penulti. h. t.* & c. 1. *cod. in 6.* & *utrobius Glossa.* Alii dicuntur Legati Laterales seu à Latere; alihi Nuntii Apostolici seu Legati missi vel constituti; alihi denique Legati Nati.

Legati à Latere, ex usu Romanæ Curiae di-

catur soli Cardinales, ab ipsis summo Pontifice ex Viba & Curia Romana missi, ad certa provinciā administrandam, vel a negotiis cum Regibus Principibus, aut aliqua Repub tractanda. Ideo verò dicuntur Legati à Latere, quia quasi à latere Pontificis, cui adiunguntur in consilis & arduis, & veluti ex eius Senatu miti solent & volentes & cum c. seq. hoc sit Nam Cardinales, pars corporis Papæ censentur & in locum Senatorum successerunt, *can. Ecclesia xvi. qu. 1.*

3. Legati Missi dicuntur, qui non mituntur de latere Pontificis, nec è numero sunt Cardina- lium, sed a summo Pontifice speciatim constituuntur, de consilio tamen Cardinalium; quamvis etiam ab eo possit Pontifex Legationis officium alicui committere, e. *Novit 7.* *Eibi Abbas h. t.* Et quamquam constitui possunt Clerici quicunque, solet tamen Pont. Prælatos tan- tum huic muneri deputare.

4. Legati Nati dicuntur, qui dignitati suæ Ecclesiasticae officium & minus Legati Apostolici annexum habent. Ideo Nati dicuntur, quia similitudine ad talēm dignitatem eliguntur, eq; præficiuntur, una etiam veluti nascuntur Legati. Talis in Anglia est Archiepiscopus Cantuariensis, de quo cap. 1*hoc ist.* item Archiepiscopus Eboracen- sis, cap. 1. *inf. De appellationibus;* in Francia Archiepiscopus Remensis, cuius est Regem Franciæ unger. de quo in cap. *Per venerabilem §. verum inf.* Qui filii sunt legitimi: Aquitania superiori Archiepiscopus Bituricensis, de quo in cap. ult. *inf. De majorit.* & *obed.* & alii quos re- censet Azorius 2. p. *Moral. instit. lib. 5. cap. 27.*

## §. II.

## In quo convenient hi Legati.

1. *Conveniunt, quod egressi Urbem accipient, singuli legationis insignia.*
2. *Quod ordinariam jurisdictionem habeant.*
3. *Quod valent statuta condere, perpetuo dura- tur.*
4. *Quod ex tenore litterarum pendeat potestas legationis.*
5. 6. *Legati benigne recipiendi ac trahandi; & pa- nanon admittentium.*

**Q**uod verò horum Legatorum sit officium

ex duobus capitibus, in quibus scilicet conveniant & in quibus differant Legati, colligere licet.

Conveniunt itaque in primis, quod omnes, eiuscunque generis sint, simpliciter appellatio- ne Legati veniant intelligendi, Glossa in c. Statutum De rescriptis in 6. c. Privilegium, De verb. signif. eod. quia omnibus vox Legati communis est.

1 Secundò, quod mox atque egressi sunt urbem accipiunt Legionis insignia ( quae sunt e quibus albus, vestes rubez, stratum & calcaria deaurata, Hostiensis in c. Antiqua inf. De privilegiis ) eisque uti valeant, dum ab urbe mittuntur, sicut olim Proconsules, quibus ex quipantur, & eod. in 6. urbem egredi insignibus Proconsularibus uti poterant. & exercere jurisdictionem non contentiosam, sed voluntariam, l. 2. D. De officio Proconsuli ) & rursus eadem ingressi urbem deponant.

2 Tertio, quod idem possint in provinciis si bi demandatis, quod in sua diocesi Episcopus habeant que ordinariam jurisdictionem, quam exercent iure suo, ut pareat ex e. 2. eod. in 6. ubi vocantur Ordinarii, & reputantur ad instar Proconsulium ac Praesidium, quibus olim certe provinciae moderandæ deceruebantur, etantque ordinarii. Eorum autem officium est vice summi Pontificis noxia evellere & dissipare; salutaria inducere & promovere, d. e. i. causas Provincia- lium que per appellationem aut simplicè querimoniad ad eos deferuntur, tanquam ad Judices ordinarios, audire & cognoscere, e. i. b. t.

3 Quarto, quod in provinciis libi commis- sis circa ea, qua ad jurisdictionem eorum per- tinent, veluti ad mores componendos & vitia corrigenda, valeant statuta condere, perpetuo duratura, ac vim habentia etiam post depositum Legionis officium, e. ult. h. t. Quintimo si ex- pediens videatur, licet eis leges praedecessorum suorum revocare: insuperque causas ad se per- tinentes aliis delegare; ita tamen, ut bujus- modi delegati jurisdictione una cum Legati of- ficio extinguantur, nisi praemissa citatione sit perpetua, d. e. ult. & ibi Abbas cum Glossa. Quod si quis Legatus fuerit in diversis provin- ciis, potest negotia utriusque expedire in una e. Novit. 7. b. t. sive voluntaria sunt jurisdictionis (enjusmodi olim extra provinciam tractare

poterat Proconsul d. l. 2. D. de officio Procons. ) sive contentiose, iuxta e. ult. inf. De judiciis &c. Olim inf. de injuriis. Villadiegus De Legato q. 5. Nam licet alias quis invitus extra provinciam ad iudicium trahi nequeat, can. Nominem 12. q. 6. tamen eo ipso, quo summus Pontifex, qui iu- ti communi detegare potest. Legatum ad plu- res provincias mittit, & estetur etiam concedere, ut negotia unius in altera explicare possit.

4 Quinto, in eo convivunt quod potestas Legatorum potissimum ex tenore litterarum sue commissionis pendeat: ita tamen, ut Legato constituto non credatur, nisi eas ostenderit, can. fin. dist. 9. 7. Legato vero à latere, etiam non ostensis litteris, credatur: nisi forte affterat, sc. à summo Pontifice potestatem habere maiorem solita & maiorem eis, quæ ex iure communii competit Legato, vel eam, quæ alteri præaudi- et, Azorius 2 p. In his Moralib. 5 cap. 27. ubi te- statur de communii.

5 Posteaquaw vero constiterit de Legatione & adventu Legati, si benignus recipiendus, tra- stans, & honorandus eis, sicut ipse Pontifex, cuius vicem gerit, e. Cum venerabilis sup. de con- suet. eique necessaria in sua Legatione submini- stranda sunt, prout in consecratione se facturos iurant Episcopi, e. Ego inf. De jure jurando: nec illa eis circa hoc potest suffragari praescripto, e. Accidentes inf. de prescriptionibus.

6. Quod si quis Legatos Apostolicos non admiscerit, vel fuerit impedimento in officio Legationis, ipso facto excommunicationem incurrit, & loca ei subiecta incurront interdi- stum; cui tam diu subiaceat, quamdiu in ea contumacia perseverat, e. i. De consuet. in Extra- vag. communibus.

### §. III.

In quibus praedicti Legati differant.

1. Primò differunt potestate, praesente Legato à latere.
2. Secundò, quoad beneficiorum collationem & reservationem.
3. Excepio.
4. Quæstio.
5. Limitatio circa praedita.
6. Potest Legatus à latere in sua provincia, quod Episc. in sua diocesi.

V Idimus, in quibus convenienter Legati:

M 2 viden-

videndum nunc, in quibus differant.

1. In primis Legato à latere ex sua dignitate quedā supra alios competunt, ac majus imperium habet in provincia sibi commissa, quam aliis. Si *Abbatem* o §, *bijusmodi elect in 6.* Ideoque, præsente eo, Legatus missus aut natus executionem sue Legionis non haber, nec in signibus Legionis utrum, e. *Volentes* 8. b. t. sicut nec Legatus natus jurisdictionem exercere valet, præter te Legato constituto, qui majoris est potestatis.

Insuper differunt quoad beneficiorum collationem, cognitionem caullarum exemptiarum, confirmationem electorum, Episcoporum & Prælatorum exemptorum, d. e. Si *Abbatem*, abolitionem excommunicatorum ob Clerici per collationem, in quibusdam casibus e penali, b. t. & ibi *Glossa*.

2. Ei quidem quoad beneficiorum collationem differunt, quia Legatus à latere potest conferre beneficia proprie dicta, in provincia sibi delegata, tempore Legionis sue vacantia, e. i. & 2. eod in 6. e. *Si à sede De probando in 6.* etiam ad Papam devoluti, secundum Ioan. Andr. Goffi Innoe. Spec. & alios quos citat. & sequitur, Azo. 1. 2. p. Moral. Inst. l. 5. c. 28. q. 14. etiam Canonicatus in Cathedralibus Ecclesiis; & certa beneficia, quæ dignitates minores vocantur, nec per electionem conferuntur; & quidem absque consensu, imo & inconsulto patrono, ad quem spectat præsentatio, modò in h[ab]it Ecclesiasticus, e. *Dilectus* 6. b. t. & e. *Cum dilectus inf. de jure patronatus*: tametsi collatio eorum spectet ad Clericos, extra suam provinciam existentes, quia in collationibus locus beneficii attenditur, Clem. 1. de *Supplenda negligentia Pralat.* Si tamen habenti unum beneficium conferat aliud, illius mentionem facere debet, alias nullius momenti erit collatio, e. p. eod. in 6. quamquam diversum sit in aliis collatoribus inferioribus, Clem. 2. de officio Ordinarii. Unde neque Legatus natus seu constitutus potest conferre beneficia sua legationis, nisi hoc ei specialiter fuerit indulatum a summo P[er]p[ot]er d[icitur] cap. 1. eod in 6.

3. Præterea Legatus à latere potest reservare collationi sive beneficia non vacantia, etiam in favorem & gratiam centralius Clerici; licet tribuere non possit jus ad beneficium vacatum juxta *Glossa* in e. i. h. t.

4. Atque ideo potest quidem non obstante

tali reservatione, voluntatem mutare, & alter conferre: non verò potest promittere vel conferre beneficium vacaturum, cap. 2. inf. & coniunctione probanda.

5. Similiter non potest conferre aut sibi servare beneficium iurius patronatus laici, patro- no invito, quando iurius patronatus competitatio dotacionis, fundationis, extruccionis, d. e. *Cum dilectus inf. de jure patronatus*. Idque proprietate latei ab extrudi, dorandi ac fundandi Ecclesiis avertantur. Aliud proinde iurius erit, si comperat ius illud ex præscriptione, coniunctione vel privilegio; tunc enim efficit ea ratio. Ant. Burrius & alii in d. e. *Cum dilectus Gambatus de officio Legati lib. 3* n. 242. & seq.

6. An verò beneficia, quæ sunt iurius patronatus Clericorum & Laicorum simul, iis invito conferre vel reservare valeat, dubitatur. Quidam afflantur; ea ratione, quod talia beneficia censentur Ecclesiastica eo quod dignius trahat ad se minus dignum, e. *Quod in dubio inf. de conseruat Ecclesia*; quodque ex societate Clerici cum Laico tota causa judicerit Ecclesiastica, Bartol. in l. 1. D. De appell. Frider. & alii, qui citat, Azo. 2. p. Moral. Inst. lib. 1. q. 2. dubio 1. ali referunt ea al in iusse judicatum. Alii verò negant, arg. eorum, que notantur in e. i. *De jure patronatu* in 6. & in l. *Communem* D. *Quemadmodum servitum amittatur*.

Abitinere etiam debet à Prælaturis Cathedralium, Regularium, & Collegiarum Ecclesiasticum: similiter à dignitatibus Cathedralium majoribus, quæ per electionem conferuntur, e. *Deliberatione* b. t. in 6.

7. Ceterum una reservatione in Ecclesia aliqua, vel de beneficio, ad alieus collationem spectante facta, & adhuc pendente, non potest interim aliam facere in eadem Ecclesia, vel de beneficio, ad collationem ejusdem spectante, e. *Præsenti* & d. e. *Deliberatione* in 6. At finita solita effectum prima reservatione, potest aliam facere facta mentione primæ, alias enim non subsisteret. Ubi verò effectum solita non fuerit reservatione à Legato facta, exspirat ea exspirante Legatione. Aliis autem Legatis haec non sunt permitta, absque speciali Pontificis mandato, e. eod. in 6.

8. Denique, ut alia omittam, Legatus à latere potest in provincia sibi commissa, quidquid Ordin.

Ordinarius in sua diocesi, & concurret cum eo in collatione beneficiorum, c. 1. 2. eod in 6. c. Si à Sede de prabend. in 6. omniaque exsequitur: ijs exceptis, quæ speciatim sunt reservata summo Pontifici; quia hæc non comprehen- datur in generali illius mandato. Ideoque nec Episcopos de Ecclesia in Ecclesiam transferre, nec unam Ecclesiam Cathedralem alteri sub- jecere, nec Episcopatus unire vel dividere potest, absque speciali mandato, c. 3 & 4 b. t. Non etiam potest caussam, specialiter à S. Pontifice al- teri demandatam, ad suam cognitionem trahere, vel ententiam, ab eo secundum formam man- dati latam, irritare, c. 2. b. t. cum speciale manda- tum deroger generali: neque de ea cognoscere, quam remittit ad sumnum Pont. c. 5 b. tit. quia ex quo caussam retulit ad Pontificem, delit esse Judex illius.

Illiad quoque notandum ex Conc. Trid. in- tertiici Legatis quibusunque, ne Episcopos in caussis; ad eorum formam spectantibus, impedi- re aut turbare præsumant, neve contra Clericos vel alias personas Ecclesiasticas, nisi requisito prius Episcopo, coquæ negligente procedant, Sess. 24. c. 20. de reformat. Idemque Conc. S. ff. 22. c. 7. Legatis certam formam in appellatio- bus, ad eos interpositis, admittendis, & in con- cedendis inhibitionibus præscripsit, idque po- tillimum ex c. Romana 3. De appellat. in 6.

## 6. IV.

Quibus modis finiatur officium Le- gati.

1. Finitur morte.
2. Revocatione.
3. Tempore.
4. Caussa.

**R**Eliguum est, ut videamus, quibusmodis fi- niatur Legatorum potestas.

1. Finitur in primis morte Legati; quando ejus personæ nominatio, sive expresso nomine pro- pio Legati, munus Legationis est commissum, tunc enim commissio cessetur personalis, & morte Legati extinguitur, nisi aliud ex subjecta mate- ria vel verbis commissionis colligatur, aut inuti- lis redditur commissio. Quod si commissio fiat sub nomine dignitatis vel officii perpetui cen- kture realis, & morte Legati non extinguitur, sed

transit ad successorem in ea dignitate, vel of- ficio, quo non meritut, c. Quoniam Abbas 14 sup. De officio delegati. Quid si fiat, expres- sis simul nominibus & personæ & dignitatis? Consent quidam iunct attendendum esse, quod prius est expressum: contraria altius, eo casu com- missionem semper esse personalem, ac proinde semper extingui morte Legati. Videatur San- chusz lib. 8. de matrim. quæst. 2. numero 20.

Dixi. Legationem finitimorte ipsius Legati, non etiam morte ejus, qui constituit; quia cum habeat jurisdictionem ordinariam, quoad ea, quæ sibi iure suæ Legationis competuerat, consequens est, morte Papæ non extingui ejus officium, c. Legatos 2. eod in 6. nisi missus sit ad Papæ beneplacitum, quod ejus morte extingui- tur, cap. Si gratiajde Derecriptis in 6. Multo mi- nus extinguitur morte Papæ, si non ab eo, sed à Sede Apostolica, quæ numquam moritur, missus fucit, d. c. Legatos vel si Legatio ei cou- peratratione dignitatis, c. 1. b. t.

2. Secundū, finitur revocatione, si ab eo fiat, & quo missus est, c. Novit. Et fin. b. t. Si ramenante egressum è provincia, caussas aliquas delega- verit, aut delegatus judicium inchoaverit, pote- rit hic procedere; & ab eo appellabitur ad Pa- pam vel successorem ipsius Legati. Caussam ve- rò, a se vel Auditore curia suæ inchoatam, non finiet ipse post egressum suum, sed successor ejus, vel Papa, si alium non constituerit. Sede autem vacante Collegium Cardinalium non potest Legatum revocare, nisi ex gravi cauſa.

An & eo ipso revocatus censetur, quo sum- mus Pontifex alium Legatum ad ejus provin- ciam mittit, quæsum fuit. Affirmant quidam: alii negant, & quidem communius ac verius; tum quia non repugnat iuri, in eadem provincia duos esse Judices ordinarios; tum quia primus tutor non censetur eo ipso revocatus, quo datus est secundus, l. 2. C. de testament. tutela. Valente autem gesta à Legato revocato, antequam re- vocatio ad notitiam ejus pervenerit, c. 1. De con- cess. prabenda in 6. Nec revocatus deponit offi- cium legationis, nisi velit, priusquam substitu- tus provinciam ingrediatur, Meminisse D. de of- ficio Precons.

Tertiū, lapsu temporis, quod Legationi præ- finitum est, c. De causis 4. sup. De officio dele- gas.

M 2

Quarto

4. Quartò, expletâ causa, ad quam specialiter fuerit constitutus Legatus. Verum tamen è provincia sibi decreta dilcedere, sine venia Pont. non potest, nisi hoc ipsum in commissione ejus continetur; sicut nec è contra revocatus à Papa, & è Provincia egressus, ad iliam redire potest sine novo mandato.

## TITULUS XXXI.

## De officio judicis ordinarii.

## §. I.

Quis dicatur Judex ordinarius, & à quo jurisdictio ea detur.

1. *Definitio seu descriptio iudicis ordinarii.*
2. *Iurisdictio ordinaria à quo detur.*

**C**um Tit. præcedenti egerimus de uno genere Ordinariorum Judicium, nimirum de Legato & ante a etiam de Vicario Episcopi: proximum est, ut de officio Ordinariorum in genere tractemus.

1. Ubi obserendum est. Judicem ordinarium dici ab ordine, eo quod ialis Judex constitutus sit juxta ordinem communiter receptum & obseratum in distinguendis, distribuendis, & pro unoquoque loco assignandis jurisdictiōnibus, ut satis colligere est ex *can. XIII. q. 1. Conc. Trid. Sess. 14. c. 9. De reformat. & alibi.* Qui quidem ordo hoc habet, quod Princeps alicujus Reipub. (qualis in Ecclesia Catholica est summus Pont.) omnem potestatem & jurisdictionem penes se unum non retineat, sed aliis inferioribus magistribus & judicibus variè communicet, jure ipsius magistratus competentem & officio cohæxentem.

Hinc igitur Iudex Ordinarius dicitur, qui propriam jurisdictionem habet, id est quam jure suo seu jure Ecclesiastice sua Prælatura, vel magistratus, quo fungitur, non autem alieno nomine exercet, *Mare majorum D. de jurisdict. om. Iud. l. 1. D. de officiis suis &c.* Eoq; pacts differt a delegato & vicario foraneo, qui jurisdictionem alieno, non suo nomine, exercent.

2. Jurisdictionem ordinariam tribuit in pri-

mis canon seu lex, *c. Duo simul 9. b. 1. D. Di-  
ficio ejus cui mandat est iurisdictio. Secundo summus  
Pont & Princeps Ecclesiasticus, can. à iudicibus 2. §  
6. can Omnes Basiliæ XVI. q. 7. & populus, ha-  
bens supremam potestatem. Terter, conseruando legitime præscripta, d.e. 9. b. tit. e ult. cod. in b.  
&c Cum contingat inf de foro compet Quomodo  
universitates, etiam Studiorum, & Collegiorum  
cita, quæ leges & statuta concedere possunt, et  
approbata confutidine, Judicem sibi deligunt  
Ordinarium. Octav. Vultius in praxi sua lib. 3.  
c. 3. n. 2. Quartò privilegium, *c. Novit. vers. an-*  
*enim inf. de judicis.**

Ipsi vero. Judices Ordinarii vel magistratus, summo Pont. aut Princepe inferiores, jurisdictionem quidem suam alijs mandare ac delegare possunt, ut ante diximus: non tamen tribute ulli jurisdictionem ordinariam, *d. can. à iudicibus 3.* nisi forte tam quam legis ministri: que pacto jurisdictionem ordinariam dare dici potest Episcopus, creando Officiale generale, seu Vicarium perpetuum instituendo, vel confirmando, vel conferendo beneficium, cui annoxa sit jurisdictione de jure vel consuetudine.

## §. II.

Qui jurisdictionem ordinariam habent.

1. *Iurisdictionem Ordinariam habet in primis summus P̄t̄fex.*
  2. *Item Patriarcha, Archiep. Episcopi &c.*
  3. 4. 5. 6. *Iurisdictione Episcopi quatenus se extendit.*
  7. *Item Ecclesiarum Collegiarum Prefecti.*
  8. 9. *Abbates & P̄sores in monachos, Abbatisas  
moniales.*
  10. *Quinam prohibeantur esse judices ordinarii.*
- I**urisdictionem Ecclesiasticam ordinariam habent omnes Ecclesiarum Praefati, vel ex lege & Constitutione aliqua, vel ex consuetudine aut privilegio, *c. Duo simul 9. hoc in c. ult. cod. in b. c. Cum contingat 13. inf. De foro compet. Glos. in c. 2. inf. de judicis.* Atque in primis summus P̄t̄fex, qui omnium Christi fiducium judex est ordinarius, *can. Aliorum, & plurim  
aliis, ix. quest. 3.* Ita ut pro diœcesi propria uni-  
versum habeat orbem Christianum. *Felix in  
Gratia numer. 2. vers. & de hoc alias inf. codem  
per can. Cuncta per munum d. q. 3. Gonz. ad Bo-*